

ministerium indulgente, qui est vere miserator et misericors, in maiestate sua laudabilis et in sanctorum suorum mirabilibus gloriosus. Datum in Torgowe anno gratiae M°. CC°. XLIII°. III°. Nonas Junii indictione prima, pontificatus nostri anno tertio.

Nach dem Orig. im K. Haupt-Staatsarchiv zu Dresden mit dem beschädigten Siegel des Bischofs an einem Pergamentstreifen.

No. 125. 1244. 15. Febr.

*Markgraf Heinrich stiftet und dotirt bei der Domkirche eine Vicarie zum Seelenheil seiner Eltern, seiner Gemahlin Constantia, dann seines treuen Dieners Conrad Machserve.*

In nomine sanctae et individuae trinitatis amen. Heinricus dei gratia Misnensis et Orientalis marchio universis praesentem paginam inspecturis in perpetuum. Quoniam generatio praeterit et generatio advenit nihilque permanens est sub sole, sed vanitati subiacent universa, idcirco ut rerum gestarum habeatur notitia, et ne ea, quae ad laudem dei statuuntur, hominum elabantur memoria, in scriptis solet redigi, quod nullatenus vel ex difficili propter rerum mutabilitatem posset in posterum memoriter conservari. Cum igitur ex debito honestatis et intuitu pietatis filii parentum suorum defunctorum memoriam agere teneantur, nos in remedium animae patris nostri bonae memoriae Teoderici marchionis Misnensis et dominae Juttae matris nostrae, nec non Constanciae quondam uxoris nostrae, cuius animam similiter domino commendamus, disposuimus, ut in choro Misnensi vicarius perpetuus habeatur, cui sex talenta denariorum Vriberc nostra contulimus in moneta, quae singulis annis idem vicarius in festo beatae Walpurgis recipiet cum effectu. Volumus tamen, ut idem ad onus quod subsequitur teneatur. In singulis siquidem septimanis unam missam pro defunctis ad altare sancti Pauli ad salutem animarum praedictarum personarum omni devotione, qua poterit, celebrabit. Et quia non solum parentum nostrorum, sed omnium fidelium et praecipue illorum, qui vitae suae tempore nobis obsequiosi fideliter extiterunt, salutem optamus, volumus, ut praefatus clericus singulis septimanis in remedium animae fidelis nostri domini Cunradi Machserue, qui nobis semper fidelis extitit ac devotus, similiter unam missam ad altare sancti Pauli debeat celebrare. Choro tamen tanquam vicarius secundum consuetudinem aliorum idem clericus tenebitur deservire, cum a capitulo Misnensi dictum recipere beneficium teneatur. Ut itaque factum praesens stabilitatem obtineat in futurum, nos et heredes nostri praedicta sex talenta a vicario in moneta nostra Vriberc, ut praediximus, singulis annis recipienda a nobis alienavimus, et in ecclesiae Misnensis dominium transtulimus, ut secundum ordinationem praefatam vicarius saepe fatus eadem sex talenta valeat quiete et libere imperpetuum possidere. Acta sunt haec Misnae anno dominicae incarnationis M°. CC°. XLIII°. XV° Kalendas Marcii indictione tertia. Huius rei testes sunt Heinricus frater noster Misnensis praepositus, Vlricus praepositus in Schilowe, Hermannus de Liznic, Heinricus de Lubene, Cunradus, magister Erpho canonici Misnenses, Meinherus burchravius Misnensis, Albertus burchravius de Aldenburch, Meinherus de Vizcenburch, Albero burchravius de Liznic, Wiricus de Kirchberc, Otto de Nidecke, Cunradus de Steinbach, Vlricus de Maltiz, Cunradus de Luppe, Reinhardus de Musgewiz, Petrus de Burlin, Hermannus Capra et alii quam plures.

Nach dem Orig. im Stiftsarchiv zu Meissen mit dem Siegel des Markgrafen an rothseidenen Fäden.